

venerimus, tum denique vivemus. Nam haec quidem vita mors est; quam lamentari possem, si liberet.

Tusc. I. 41. Vadit in eundem carcerem, atque in eundem paucis post annis scyphum Socrates, eodem scelere judicum, quo tyrannorum, Theramenes. Quae est igitur ejus oratio, qua facit eum Plato usum apud judices, jam morte multatum? «Magna me, inquit, spes tenet, judices, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem. Necesse est enim, sit alterum de duobus: ut aut sensus omnino omnes mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quamobrem, sive sensus exstinguitur, morsque ei somno similis est, qui nonnunquam, etiam sine visis somniorum, placatissimam quietem affert: dii boni, quid lucri est emori? aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur? Cui si similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis, quis me beatior? Sin vera sunt, quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas, qui e vita excesserunt, incolunt: id multo jam beatius est, te, quum ab his, qui se judicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire, qui vere judices appellentur, Minoëm, Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum; convenireque eos, qui juste et cum fide vixerint. Haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? Ut vero colloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem aestimatis? Equidem saepe emori, si fieri posset, vellem, ut ea, quae dico, mihi liceret invenire. Quanta delectatione autem afficerer, quum Palamedem, quum Ajacem, quum alios, judicio iniquo circumventos, convenirem? Tentarem etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Trojam, et Ulixi, Sisyphique prudentiam: nec ob eam rem, quum haec exquirerem, sicut hic faciebam, capite damnarer. Ne vos quidem judices, ii, qui me absolvistis, mortem timueritis. Nec enim cuiquam bono mali quidquam evenire potest, nec vivo, nec mortuo: nec umquam ejus res a diis immortalibus negliguntur; nec